



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 143. Vtrum plures Angeli possint esse simul in eodem loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

nire cuilibet enti tū corporeo, cum incorporeo.

12. Dices: corpus Christi in Eucharistia existit in hostia continua, & postquam diuisa est hostia, remanet in partibus hostiæ discontinuis, ac distantibus; ergo Angelus existens in vno loco adæquato potest etiam esse in duobus locis inadæquatis non excedentibus priorem locum adæquatum.

13. Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia corpus Christi existit in tota hostia, & in singulis eius partibus, non quia hostia est continua, sed quia est consecrata; sed partes post discontinuationem remanent consecratae: ergo. At Angelus existit naturaliter in toto loco adæquato, quia est vnus locus, & Angelus cum sit vnum ens, debet esse in loco vno: sed duo loca distantia, etiam si non excedant locum adæquatum Angelis, non sunt vnus locus; ergo.

QVAESTIO CXLIII.

Utrum plures Angeli possint esse simul in eodem loco?

Sanctus Thomas qu. 52. art. 3.

1. **V**identur plures Angeli posse simul esse in eodem loco. Primo enim plura corpora ideo non possunt esse simul in eodem loco, quia propter quantitatem sunt mutuò impenetrabilia, atque ita replent locum, ut se mutuò excludant ab eodem loco; sed Angeli non sunt quanti, ac proinde non sunt impenetrabiles, nec ita replent locum, ut mutuò se excludant ab eodem loco; ergo.

2. Secundò Angeli possunt esse, ac de facto sunt in eodem loco cum corporibus, & cum ijs penetrantur: ergo à fortiori potest vnus Angelus esse in eodem loco cum alio Angelo, cum eoque penetrari. Probatur antecedens: nam ut docet Aristoteles 4. Physic. t. 58. nullus locus est in mundo, qui non sit plenus corpore sensibili: alioquin in mundo daretur vacuum, hoc est locus non plenus corpore; sed Angeli sunt in aliquo loco mundi; ergo.

3. Tertiò Angelus potest naturaliter, & suis viribus esse in eodem loco cum anima rationali, & cum illa penetrari: ergo potest etiam vnus Angelus penetrari cum alio Angelo. Probatur antecedens: nam daemones de facto sunt in corporibus energumenum; sed anima rationalis est tota in toto, & tota in qualibet parte sui corporis, ut docet etiam Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 6. & epist. 18. ad Hieron. ergo daemones sunt in eodem loco, in quo est anima energumeni.

4. Quarto Luca 8. 30 dicitur: *Interrogauit illum Iesus, spiritum nimirum immundum, qui energumenum quemdam obsidebat, quod tibi nomen est? At ille dixit, legio, quia intrauerant demonia multa in eum; sed illi*

daemones erant in eodem loco, & mutuò penetrabantur: ergo plures daemones, siue mali Angeli possunt esse in eodem loco, & inuicem penetrari.

5. Quinto rationes, quibus aliqui, ac praesertim Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, Richardus, & Aegidius probant plures Angelos non posse esse simul in eodem loco, sunt facile solubiles; ergo. Probatur antecedens, afferendo tales rationes, easque soluendo. Ratio allata à Sancto Thoma 1. p. q. 52. art. 3. est: non possunt duae causae completae, & totales causare simul eundem effectum: sed Angeli sunt in loco per operationem, per quam perfectè, & adæquatè continent locum; ergo non possunt plures Angeli simul esse in eodem loco. Hæc ratio etiam transmittendo, quod Angelus sit in loco per operationem, non concludit. Nam sicut duo, quorum singuli possent se solis eleuare idem pondus, possunt ita attemperare suum cōcursum, ut simul eleuent; sic duo Angeli, quorum singuli per suam operationem possunt adæquatè continere eundem locum corporeum, possunt ita attemperare suum cōcursum, ut simul contineant, ac simul sint in eodem loco.

6. Ratio allata à Sancto Bonaventura in 2. dist. 2. par. 2. art. 2. qu. 4. est, quia ordo vniuersi postulat, ut Angeli sint in locis diuersis: esset enim magna confusio, si plures Angeli essent in eodem loco. Neque hæc ratio concludit. Nam Angeli non exigunt ordinari secundum locum, & situm, qui ordo videtur proprius corporum, sed secundum suas naturas, & species, & secundum hoc, quod inferiores illuminentur à superioribus, ut docet Dion. lib. de Caest. Hierarch.

7. Ratio allata à Richardo in 1. dist. 37. art. 2. quæst. 4. est, quia si plures Angeli essent in eodem loco, se mutuò penetrarent: sed repugnat, ut plures Angeli se mutuò penetrarent; ergo. Hæc ratio potius probat oppositum; siquidem cum corpora sint impenetrabilia ratione quantitatis, videntur Angeli esse penetrabiles, cum careant quantitate.

8. Ratio allata ab Aegidio in 1. dist. 37. p. 2. art. 1. qu. 3. est. Plura, quæ eodem modo comparantur cum vno, non possunt simul in eo esse; e. g. plures formæ non possunt esse in eadem materia, quia eodem pacto comparantur cum materia: sed plures Angeli eodem modo comparantur cum loco corporeo; ergo plures Angeli non possunt simul esse in eodem loco corporeo; licet anima, & Angelus possint esse simul in eodem corpore energumeni, quia anima est tali corpore per modum formæ, Angelus non est per modum formæ. Sed neque hæc ratio concludit. Maior enim non videtur vniuersaliter esse vera, ac dici potest, quod licet plures Angeli sint in loco per modum mouentis, & sic eodem modo, tamen sunt in eodem loco per modum duorum mouentium partialium: quod non repugnat.

9. Ref.

9. Respondeo ex rationibus allatis valde probabilem esse opinionem, quæ asserit plures angelos naturaliter esse posse in eodem loco, ideoque illam docuerunt in 2. distin. 2. plures Scholastici, nimirum Scotus quæst. 8. Gabr. quæst. 2. art. 3. dub. 3. Gregorius quæst. 3. Marfil. quæst. 2. art. 2. Ochamus quodlib. 3. quæst. 4. & alij, quos referunt, & sequuntur ex nostris Suar. lib. 4. de angel. cap. 9. n. 4. & Vasquez 1. par. disp. 193. cap. 4. Caietan. us etiam in Comment. huius articuli, & Ferrar. 3. contra Gentes, cap. 68. concedunt non repugnare, ut plures angeli possint simul esse in eodem loco non adæquato, eosque sequuntur Thomistæ satis communiter. Locum adæquatum vocant, in quo angelus operatur tota sua virtute: locum inadæquatum, in quo non operatur tota sua virtute, sed attemperat concursum, & alium angelum admittit in consortium operandi. Addunt superfluum esse, ut angelus sic attemperet suum concursum, ideoque nunquam, vel varò id fieri, ideoque S. Thomam censere, non posse plures angelos esse in eodem loco.

10. Licet hæc opinio sit satis probabilis, placet etiam præsertim in gratiam Sancti Thomæ, ac Sancti Bonaventuræ problematice defendere, quod plures angeli naturaliter in eodem loco esse non possint, explicare rationes, quas ipsi afferunt pro hac sententia, & solvere argumenta in contrarium allata.

11. Probatur igitur ex Sancto Thoma plures angelos non posse esse simul in eodem loco. Angelus est in loco non per contactum quantitativum, sed per contactum virtutis; sed contactus virtutis non consistit in actuali operatione transeunte, per quam angelus actu operetur in loco, sed in hoc, ut virtus activa angeli sit applicata loco corporeo per intimam penetrationem, ac proinde locum perfecte, & adæquate tangat, ut diximus quæst. 138. num. 40. in resp. ad 2. ergo angelus est in loco per hoc, quod virtus activa Angeli sit applicata loco per intimam penetrationem, qua lucum corporeum perfecte, & adæquate tangat: sed Angelus per hoc, quod eius virtus perfecte applicetur loco, illumque adæquate tangat, perfecte continet locum, eique dominatur: ergo Angelus perfecte continet locum, in quo est, eique perfecte dominatur; sed perfecta continentia, qua vnum continet aliquid, illique dominatur, excludit quodlibet aliud à continentia, & dominio eiusdem generis; ergo vnus Angelus existens in loco per contactum virtutis excludit à tali loco quemlibet aliud angelum.

12. Confirmatur argumentum, explicando fundamentum Ægidij. Nam forma substantialis, quia ita existit in materia, ut materiam perfecte contineat, illique dominetur, excludit à materia quamlibet aliam formam; ergo proportionaliter angelus, quia ita existit in loco, ut locum perfecte contineat, illique dominetur, excludit à tali loco quemlibet

aliud angelum. Sicut igitur dum in materia est vna forma, non potest alia introduci, nisi expellatur forma præcedens, sic dum vnus angelus est in loco, non potest alius eundem locum occupare, nisi expellendo illum, qui antea talem locum occupabat.

13. Probatur secundo ex Sancto Bonaventura. Ordo enim vniuersi postulat, ut angelus perfecte contineat locum, cum quo intime penetratur, & cui perfecte applicat suam virtutem; sed eo ipso postulat, ut plures angeli non possint simul esse intime penetrati cum eodem loco: ergo &c.

14. Confirmatur, explicando rationem Richardi desumptam ex eo, quod angeli non possint inuicem penetrari. Sicut enim angeli, quia debent posse perfecte corpora continere, illisque dominari, debent posse cum corporibus penetrari, illisque per intimam penetrationem applicare suam virtutem; sic quia vnus angelus non debet posse perfecte subijci alteri, non debet vnus angelus posse naturaliter penetrari cum altero, applicando illi suam virtutem per intimam penetrationem.

15. Ad 1. distinguo maiorem; ideo plura corpora non possunt esse in eodem loco, quia propter quantitatem sunt mutuo impenetrabilia, & hæc est ratio sufficiens, ut corpora non possint esse in eodem loco, concedo; & hæc est ratio necessaria, cur aliqua non possint esse in eodem loco, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Quantitas est ratio sufficiens, propter quam plura corpora non possint esse in eodem loco, sed non est ratio necessario requisita ad hoc, ut aliqua non possint esse in eodem loco. Angeli igitur, licet non habeant quantitatem, nihilominus non possunt esse in eodem loco ex alijs rationibus allatis, nimirum quia vnusquisque angelus debet perfecte continere locum, in quo est, eique dominari, ac nullus angelus debet posse perfecte subijci alteri angelo &c.

16. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Angeli debent posse esse in eodem loco cum corporibus, & cum ijs intime penetrari, quia debent posse perfecte continere corpora, illisque perfecte dominari: sed vnus angelus non debet posse perfecte continere alium, illique dominari: ergo vnus angelus non debet posse esse in eodem loco cum alio, ut explicatum est num. 14. Confirmatur: nam quia forma substantialis debet continere materiam, debet posse informare materiam, & esse in eodem loco cum materia; at quia vna forma substantialis totalis non debet posse continere aliam, vna forma substantialis totalis non debet posse informare aliam, & esse in eodem loco cum alia: ergo à pari.

17. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Angelus debet perfecte posse continere corpora: & quia corpus humanum est corpus, ideo angelus debet posse

Hhh 2

con-

continere corpus humanum, cum eoque intimè penetrari, & sic consequenter penetrari cum anima rationali corpori unita. At angelus non debet posse continere alium angelum: ergo non debet posse esse in eodem loco cum alio angelo, præsertim cum eo ipso non perfectè contineret locum corporeum, ut explicatum est num. 11. Hinc infero, quod ex rationibus proportionalibus animæ separata non possunt simul esse in eodem loco, & quod angelus non potest esse in eodem loco cum anima separata.

18. Ad 4. Nego maiorem. Cum multi daemones sunt in eodem energumeno, vnus est in vna parte corporis, alius in alia. Et quia corpus est diuisibile in infinitum, angeli autem possunt esse in loco minori, & minori in infinitum, ac etiam in punctis, ut dictum est quæst. 141. num. 11. ideo angeli plures, & plures in infinitum possunt esse in eodem corpore energumeni, absque eo quod inuicem penetrarentur.

19. Ad 5. patet ex dictis, cum sint explicata rationes Sancti Thomæ, Sancti Bonaventuræ &c. ita ut habeant sufficientem probabilitatem.

QVAESTIO CXLIV.

Utrum Angeli possint se ipsos localiter mouere motu continuo, vel non continuo, qui sit accidens in ipsis intrinsecè receptum?

S. Thom. qu. 53. art. 1.

1. **V**identur angeli præsertim beati non posse localiter moueri: primò quia motus est actus imperfecti, ut docet Aristoteles 3. Physic. textu 60. sed angeli præsertim beati non sunt imperfecti, sed sunt in statu summæ perfectionis; ergo.

2. Secundo quidquid mouetur, mouetur propter indigentiam, ideoque Deus, quia nullius eget, moueri nequit: sed Angeli præsertim beati nullam habent indigentiam; ergo.

3. Tertiò ut docet Aristoteles 7. Physic. t. 86. & sequent. nullum indiuisibile, sine impartibile, & partibus carens potest localiter moueri; sed Angeli sunt indiuisibiles, & partibus carent; ergo.

4. Quarto August. lib. de Gen. ad litt. cap. 20. & 26. dicit creaturam corpoream moueri per loca, & tempora, spiritualementem verò solum per tempora: ergo existimat Angelos non posse moueri localiter.

5. Quinto videtur Angelus saltè non posse moueri motu continuo. Ut enim arguit Arist. lib. 6. Phys. t. 32. & 36. dum aliquid mouetur motu continuo, non est totaliter in termino ad quem, quia dum aliquid est totaliter

in termino ad quem, non mouetur, sed iam est motum; neque est totaliter in termino à quo, quia dum aliquid est totaliter in termino à quo adhuc non incepit moueri; ergo quod mouetur motu continuo, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, & proinde habet partes; sed angelus caret partibus; ergo angelus non potest moueri motu continuo.

6. Sexto videtur angelus non posse mouere se ipsum. Ut enim docet Aristoteles 7. Physic. tex. 1. omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ideoque ut aliquid moueat se ipsum, debet in eo pars mota distingui à parte mouente, eo pacto, quo in animalibus corpus, quod mouetur, distinguitur ab anima, quæ mouet: sed in angelo cum partibus careat, pars mouens non distinguitur à parte mota: ergo angelus non potest mouere se ipsum.

7. Respondeo ex Scholasticis Hervæum, tantummodo, & Durandum docuisse angelos non moueri localiter. Hervæus enim tract. de motu angeli, quæst. 1. art. 1. & 2. docet angelum secundum substantiam non esse verè in loco, ac consequenter verè non moueri localiter, siquidem impossibile est, ut quod verè non est in loco, verè moueatur localiter. Durandus autem in 1. dist. 37. par. 2. dist. quæst. 1. docens angelum semper esse vbique, vel saltem semper esse in omnibus locis, in quibus esse potest, & operari, docet etiam Angelos non moueri localiter, cum non possit aliquid moueri, absque eo quod de nouo acquirat locum, in quo antea non erat.

8. Dicendum primò cum communi sententia Theologorum, & Patrum: angeli localiter mouentur.

Probatur primò ex Scriptura. Nam Iob. 1. dæmon dicit: *Circumui terram, & perambulauit eam*, & 1. Petri dicitur de dæmone *circumui quærens quem deuoret*: sed circuire terram, eamque perambulare importat motum localem: ergo. Matth. 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: reuertar in domum meam &c.* Tunc vadit, & assumit alios septem spiritus secum, & intrantes habitant ibi: sed ambulare, reuerti, vadere, intrare, important motum localem: ergo. Luc. 1. de Gabriele dicitur: *Et ingressus Angelus ad eam: discessit Angelus ab ea: &c.* sed ingredi, ac discedere important motum localem: ergo.

9. Probatur secundo ex Patribus. Dionysius de cælesti Hierarchia, cap. vlt. dicit angelorum pedes alatos depingi propter motus celeritatem. Nazianzenus Orat. 34. quæ est. 2. de Theologia de angelis dicit: *Loca omnia peragranti, omnibusque impigre adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem*. Chrysost. Hom. 3. in Epistolam ad Hebræos in verba illa, *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi*, dicit hanc esse differentiam inter angelos, qui mittuntur, & filium Dei, qui etiam missus est, quod illi cum mittuntur, lo-